

und andere *Marcks Privilegia art. 8.* in reliquis omnibus Germaniæ emporiis acceptatur, *Statt Murrenberg in zweyen Puncten veränderte W. D. verb. Gerner /* & ultimo indossatus præsentat, formulas hujusmodi Gyri vid. apud Ludov. Einleith. zum *W. P. cap. 4. §. 24.*

Si plures super eadem summa extraditæ fuerint litteræ cambiales, non est necesse omnes & singulas, sed sufficit unam indossare, quia tamen prima sæpius absque indossamento mittitur ad locum solutionis ut præsentetur & acceptetur, secunda vel tertia interim per varia loca gyret. Quæritur. Si prima fuerit acceptata, sed tempore solutionis non sit ad manus, an acceptans teneatur solvere secundam? R. erga præstitam sufficientem cautionem, sic tamen, ut in indossamento exprimatur, ubi prima reperiatur. E. G. *Prima ist in Handen oder ligt acceptirt bey Herren Thoma in Grancsfurth.* Lud. Einleith. zum *W. P. cap. 4. §. 29.*

DISSERTATIO X.

De Præsentatione litteræ cambialis.

Quemadmodum remittens incontinenti transmittere, sic quoque præsentans, qualiscunque sit & qualitercunque remissa ad eum spectet sive ratione curæ tantum, sive ratione proprietatis, tenetur præsentare infra tempus congruum, ad cujus determinationem publicâ quidem ordinatione opus esset, interim in ejus defectu hæc erit in arbitrio Judicis, Dupuy *cap. 6. n. 18.* putans ex æquitate sustineri posse quod si litteræ fuerint datæ itineranti, duplicentur dies itineris, si in commerciis mercatorum duplicentur postæ ordinariæ. Cæ-

teroquin si in officio suo fuerit negligens, tenebitur de omnidamno interesse & casu fortuito etiam antequam quidquam agat ex vi mandati, quod in se suscepit vel tacitè, si directam ad se litteram cambii non contradicendo retineat, vel expresse, si declaret, se mandatum acceptare, Vogt *thes.* 7. *lit. c.* Heidig. *cap.* 8. *vers.* Dieser nun.

§. 2. Dicta intellige, quod non teneatur præsentare, nec curare acceptari, nisi in quantum trassantis aut remittentis vel illorum, in quos scripti sunt ordines, interest, ideoque maxime procedunt quando tempus solutionis determinatur à vista vel à usu, quod currere incipit à die acceptationis, ut sciatur, utrum acceptatæ sint nec ne, & currant termini ad solutionem præfixi, Bod. *thes.* 6. *lit. i.* in quo simul vertitur interesse trassantis, Dupuy. *cap.* 6. *n.* 5. ubi. *seq.* variis id exemplis illustrat. Aliarum litterarum præsentatio, quarum solutio determinatur per præfixum diem certum, mensis, 3. 4. vel 6. septimanas à die datarum litterarum pagamentum vel ferias respectu trassantis nihil operatur, quod hic per acceptationem non liberetur, vid. *dissert.* II. §. 7. remittentis verò, & indossantium, qui valutas pro cambio dederunt, plurimum interest has quoque litteras acceptari, cum per hoc nova iis acquiratur actio contra acceptantem. Hinc solent cauti mercatores, ut de acceptatione, & futura solutione reddantur securiores, si litteræ à dato, vel in certum diem conceptæ sint, eas suis factoribus pro procuranda acceptatione transmittere.

§. 3. In cambiis feriarum specialiter nota, quod dies præsentationis semper sit fixus, E. G. Francofurt. præsentationi præ-

præfinita est dies Lunæ in ingressu nundinarum, & tempus hoc continuatur usque ad diem Martis circa horam nonam pomeridianam secundæ hebdomadis, *Græncsfurth. W. D. art. 8.* Quodnam tempus aliis in nundinis præsentationi statutum sit. vid. in Ordinationibus cambialibus dictarum Civitatum, E. G. Naumburgensi *vers. Sonstener* & ejus eleuteratione de anno 1691. Lipsiensi *art. 4.* Boltzana *art. 4.* Brunsvvicensi *art. 30.* Ast denuo observa, quod dum in quibusdam ordinationibus cambialibus dicitur, tempus acceptationis per aliquot dies currere, à simpliciter denegata acceptatione incontinenti possit interponi protestatio, licet Jus præsentandi salvum maneat usque ad ultimum diem, à suspensa acceptatione, quia acceptans positivè se non declarat, non protestatur nisi in fine præfixi termini, ordinationes cambiales *locis allegat.* cæterum cambia propria sicut acceptatione non indigent, sic neque illa præsentari necesse est. Ludov. Einleith zum *W. P. cap. 3. §. 11.*

DISSERTATIO XI.

De Acceptatione Litteræ cambialis.

PRæsentationem sequitur acceptatio litteræ cambialis, quæ §. 1. ita se respiciunt, ut hæc sine illa & vicissim (in absentia Protestûs) esse non possit, eapropter circa acceptantem, & acceptationem pauca notare volui per sequentes conclusiones.

Dico 1. Acceptare potest solus ille, cui litteræ, & in eis designata tratta dirigitur. Vogt. *thes. 4. lit. b.* cum hac ampliatio-
ne, ut nullus alius, quicumque ille fuerit, & ex quacunque causa voluerit, ne quidem pro honore litterarum acceptare possit,